quis iustificabit? et quis honorificabit
exhonorantem animam suam? Pau-
per gloriatur per disciplinam et timo-
rem suum: et est homo qui honorifi-
catur propter substantiam suam. Qui au-
tem gloriatur in paupertate: quanto ma-
gis in substantia? et qui gloriatur
in substantia: paupertatem vereatur. XI

Sapientia humiliati exaltabit ca-
put illius: et in medio magnatorum
consedere illum faciet. Non laudes virum
in specie sua: neque spernas hominem
in visu suo. Brevis in volatilibus apis:
et initium dulcoris habet fructus illius.
Ne glorieris in vestitu umquam: nec in die
honoris tui extollaris. Quoniam mira-
bilia opera altissimi solius: et gloriosa et
absconsa et invisa opera illius. Multi ty-
ranni sederunt in throno: et insuspicabilis
portavit diadema. Multi potentes
oppressi sunt valide: et gloriosi traditi
sunt in manus alterorum. Priusquam interro-
ges ne vituperes quemquam: et cum interro-
gaveris corripe iuste. Priusquam audias
ne respondeas verbum: et in medio sermo-
num ne adicias loqui. De ea re que te
non molestat ne certeris: et in iudicio
peccantium ne consistas. Fili ne in multis
sint actus tui: et si dives fueris non eris
immunis a delicto. Si enim secutus
fueris non apprehendes: et non effugies si
precucurreris. Est homo laborans et festi-
nans et dolens impius: et tanto ma-
gis non abundabit. Est homo mar-
cidus egens recuperatione plus defici-
ens virtute et habundans paupertate:
et oculus dei respexit illum in bono et
erexit eum ab humilitate ipsius. et ex-
altavit caput eius: et mirati sunt in
illo multi et honoraverunt deum. Bo-
na et mala. vita et mors: paupertas
et honestas: a deo sunt. Sapientia

disciplina et scientia legis apud deum:
dilectio et vie bonorum apud ipsum. Error
et tenebre peccatoribus concreata sunt. Qui
autem exultant in malis consenescunt in ma-
lo. Datum dei iustis permanet: et profectus il-
lius successus habebit in eternum. Est qui lo-
cupletatur parce agendo: et hec pars
mercedis illius in eo quod dicit. Inveni re-
quiem michi et nunc manducabo de
bonis meis solus. et nescit quod tempus
preteriat et mors appropinquet. et relin-
quat omnia aliis. et moriatur. Sta
in testamento tuo et in illo colloquere:
et in opere mandatorum tuorum veterasce.
Ne manseris in operibus peccatorum. Con-
fide autem in deo: et mane in loco tuo:
facile est enim in oculis dei subito honesta-
re pauperem. Benedictio dei in mercedem
iusti festinat: et in hora veloci pro-
cessus illius fructificat. Ne dicas. quid
est michi opus: et que erunt michi ex hoc
bona? Ne dicas. Sufficiens michi sum:
et quid ex hoc pessimabor? In die bo-
norum ne immemor sis malorum: et in die
malorum ne immemor sis bonorum: quoniam
facile est coram deo in die obitus retribue-
re unicuique secundum vias suas. Malicia
hore oblivionem facit luxurie magne:
et in fine hominis denudatio operum
illius. Ante mortem ne laudes homi-
nem quemquam: quoniam in filiis suis agnosci-
tur vir. Non omnem hominem inducas
in domum tuam: multe enim sunt insidie
dolosi. Sicut enim eructuant precordia
fetencium et sicut perdix inducitur in
caveam et ut caprea in laqueum sic et cor
superborum: et sicut prospector videns ca-
sum proximi sui. Bona enim in mala
convertens insidiatur: et in electis impo-
net maculam. A scintilla enim una
augetur ignis: et ab uno doloso au-
getur sanguis: homo vero peccator